losophi omnium ætatum ac ordinum præstantissimi Græ-
ci, Latini, Arabici meditari et exercere nequaquam
dedignabantur. quid? Nonne Raphaëlem Archange-
lum divinæ scientiæ artem exercuisse sacræ attestan-
tur litteræ? mittamus reliquos, Christus ipse omnium
bonorum largitor et auctor, verusque totius generis humani
medicus, ægros, ægrotosque quoscunque offerebantur, mise-
ros sanitati restituit, atque discipulis medendi, sanan-
dique tradidit potestatem. quod quæso encomium, quæ
gloria, quæ laus maior tribui medicinæ potest quam
illa, quæ ab æterno conditore rerum omnium induitur
Deo ter Optimo maximo? Vt igitur vitem fertilitas,
sapor vinum, velocitas cervum, cursus ac sagacitas canem
commendat, ita certè præclara medicinæ origo, utpote
divinitus exorta, venerandaque eius antiquitas eandem
nobis facit laudabilem, omnique posteritati debet face-
re commendabilem. Digna satis laudatu, satis glorio-
sa medicina videretur, si vel solum tot, tantorumque
fundatorum suorum decoribus et ornamentis conspi-
cua floreret. Satis, inquam, gloriosa atque laudabilis